



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XXII. Quid Diploma Leonis effecerit tam in aliis quàm in Luthero.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

rum hominum vnâ coëuntium iudicio fanciantur, quò ex horum certè coniunctione conflatur vnitas Principatus, quâ, secundùm * Philosophi effatum celeberrimum, optima rerum gubernatio nititur?

15191

* 12. Metaph. in fine.

C A P V T XXII.

Quid Diploma Leonis effecerit tam in aliis quàm in Luthero.

Pontificis diploma delatum euulgatumque fuit ab Eckio per Germaniam, summâque exceptum lætitiâ; præsertim ab iis Academicis, quæ Lutheranos errores iam damnauerant, ideoque in alterius improbatione propriæ doctrinæ comprobationem intuebantur. Verum hæc aduersariorum lætitiâ quàm graui afficiebat tristitiâ, tam acri inflammabat ardore Martini pectus, & cuiusuis etiam eadem animi deprauatione corrupti. Wittembergæ hæsit quasi suspensâ diplomatis efficacitas. Cùm Pontifex illi Academicæ misisset * literas, quibus eam hortabatur vt in antiqua pietate persisteret, iubebatque seuerissimis pœnis exequi cuncta diplomatis decreta, de iis illa Fredericum certiore fecit, eo tempore absentem, quò electo nuper Cæsari assisteret. Ad ipsum etiam Fredericum alias literas Pontifex dederat officij plenas, quibus significabat, solâ ipsius causâ dilatatam adedò fuisse Lutheri proscriptionem; simul etiam famam excitatam, perditum illum deceptorem ausum esse ita furere eius præsidio nixum: proinde quò præcellens ipsius virtus, ac nominis claritudo debitum sibi splendorem apud Deum & homines retinerent, illum hortari, rogare, Dei que omnipotentis nomine postulare, vt vel Martinum oblatâ veniâ ad bonam frugem adduceret, vel si obduresceret, in eum mandata diplomatis exequenda curaret.

* 8. Iulij 1520. vt apparet in libro Archiuei Vaticani transcripto, Ad V. Formatiæ.

2 Excepit Wittembergensè Gymnasium à Frederico ambigua quædam responsa; vtpote ab eo, qui nec rem peragi vellet, nec à se prohiberi. Lutherus interim anxie inhiabat captandæ electi Cæsaris beneuolentiæ: iserat Carolus Hispaniæ Rex. Spem illi in primis faciebat, tam acerrimum patrociniū quod sibi apud Carolum Frederici operâ pollicebatur, quàm inæstimabile beneficium, quo Fredericus Carolum sibi deuinxerat. Etenim, vt ipse Legatus suis * literis exponit Pontifici, pridie quàm Carolus eligeretur, Septemviri Imperium Saxoni concorditer obrulere. Is verò heroicâ planè moderatione animi magnificè repudiavit, simulque præcipuus auctor fuit, vt in Rege Hispaniæ collocaretur; in eo quippe Prin-

* Tom. 2. literarum ad Principes. 5. Iulij anno 1520.

cipe.

1519. cipe, qui posset eam Solij Maiestatem tueri à finitima potentissimorum violentia; & tamen tam inde procul regnum possideret, vt nullâ possent suspicione corripri Germaniæ Principes. Addebat, eundem populis acceptum fore, & vt in ea regione natum, & vt nepotem Maximiliani, qui militari virtute ac singulari charitate, quibus maximè populi capiuntur, adhuc vivebat percarus in Germanorum memoria, & in ore Famæ, percelebris ob corporis animique dotes planè singulares.

Verùm tam excelsa repudiatio, in tanta mortalium ambitione portenti similis, diuini propè consilij humanorum arbitri testificatio visa est, volentis quidem afflictere Germaniam, sed nolentis omnino deserere: quod contigisset, si ad tantæ dominationis fastigium euectus esset is Princeps, qui Lutheranam hæresim sibi iam quasi filiam adoptauerat. Augebat Lutherò spem iuuenta Cæsaris annum vigesimum vix ingressi: quæ ætas, præsertim potentia atque fortuna opibus affluens, libenter audit noua consilia, spectatque nouas excelsitatis ideas, quæ extra omnem legem superioremque auctoritatem regnantem locent. Propterea summo studio Lutherus per varios libellos exaggerare tyrannidem Romanorum Pontificum in Germaniam, extollere iurisdictionem Cæsaris, nulli obnoxiam; antiquas lites inter Romanos Pontifices ac Cæsares refricare; postremò amplificare meritum simul & gloriam, quam verus Augustus, diffracto iugo, inter Germanos consequeretur. Suberat peculiaris quædam noui Cæsaris erga Pontificem diffidentia; quòd is, vt fama erat, tentasset electionem Caroli præpedire, nolletque eandem comprobare, causatus lege cautum esse, ne in Regni Neapolitani possessionem admitti Romano Imperio potiantur. Sed breui spes omnis elanguit: Carolus enim noluit oblatum Imperium accipere, nisi prius rogato Pontifice, vt memoratæ legis sibi obstaculum relaxaret.

Is itaque, quippe Austriacorum Principum, Regumque Catholicorum sanguine procreatus, & piâ imbutus disciplinâ Adriani, viri religiosissimi, qui paucos post menses Pontifex electus est, non aures quidem gerebat quibus audiret, ne dum animum quo promoueret aliam Religionem nisi Romanam. Quare in Belgium regressus è Britannia, vbi Reginam materteram suam inuiferat, atque à Ministris Pontificiis maturè præoccupatus, declarauit, velle se veterem Fidem tutari, iussitque in vrbibus Brabantia, in Academia Louaniensi, aliisque in locis, ex Pontificio diplomate, Lutheri Opera flammis absumi.

Luthe-

Continetur
in Epistola
Caroli V.
ad Clemen-
tem VII. in
lib. 2. cap. 13.

1519.

3 Lutherus, ex his incendiis alicubi iam peractis grauius inflam-
 matus, literisq̄ Erasmi sibi studiosi factus certior, Casarem etul-
 que Aulam Romæ fauere, in consilium à desperatione proposi-
 tum, hoc est ad extremum despectus atque hostilis furoris in Ro-
 manam Ecclesiam præceps corrui, nactus facinoris socios, Wit-
 tembergenses scilicet Academicos operâ, Septemuirum verò per-
 missu: cum satis intelligeret, eâ ratione simul vilescere auctorita-
 tem quasi aspernabilem Pontificis, ipsum deprimentis; simultane-
 tæ iniuriæ societate, Academiam ac Principem obstringi ad ini-
 placabilem inimicitiam in læsum.

Ideirco 10. Decembris, erectâ extra mœnia Wittembergæ py-
 râ, vocatisq̄ per scripta publica ad spectaculum Academicis,
 aptoq̄ ad spectandum loco illis destinato, eò se contulit magno
 cum comitatu, & partim sua, partim suorum manu in ignem con-
 iecit duo volumina Decreti à Gratiano digesti, duo etiam alia,
 quorum primum continebat quinque libros Epistolarum Decreta-
 lium, secundum verò complectebatur librum sextum, Clementi-
 nas, aliasq̄ Constitutiones *Extravagantes* appellatas. Combussit
 itidem diploma Leonis quo ipse Lutherus damnabatur, Eckij
 commentarios, atque etiam Emseri, quicum similitatem contra-
 xerat, quod hic haud plene è re Lutheri Lipsiense certamen descri-
 pserat. Dum incendium peragebatur, nouus veluti Propheta in ea
 verba prorupit: *Quia Sanctum Domini conturbasti, conturbet te ignis
 æternus.* Similis combustio in duobus vel tribus aliis Germaniæ lo-
 cis confecta à Martini fautoribus, & quod admirationi est, non
 defuere, qui Lipsiæ coram ipso Duce Georgio tam execrandum
 scelus ausi sunt.

4 Studuit Lutherus variis commentariis impium facinus excusa-
 re: Comptum sibi esse, obstringi se, quippe Christianum, Theo-
 logiæ Magistrum, sacrumq̄ Concionatorem, vt mederetur pe-
 stilentibus malis, quibus concremata volumina opplebantur, cum-
 que animaduerneret, contestationes, ceteraq̄ officia Romano
 Pontifici exhibita cessisse irrita, adactum se planè fuisse ad ea cape-
 senda remedia, quæ Pauli suafu adhibuerant aliqui ab eodem ad
 Fidem traducti, libros igni tradentes quinque millibus aestimatos,
 in quo numero decies pro singulis spectat, cum quinquaginta mil-
 libus aestimati dicantur.

* In 2. To-
mo Lutheri.

5 Fœdius tamen mentitur in afferenda causa. Nam si Religionis
 ardore atque debito compulsus fuit, quomodo non prius exarsit,
 nec se obligatum sensit, quàm suorum voluminum flammis incen-

Pars I.

L

lus

1519. sus & illuminatus? Cur iis verbis, quæ inter incendium protulit, aliisque mox memorandis, ultionis gratiã se id egisse declarauit? Cur, ubi sua volumina combusta rescuiit, Spalatino scripsit, se aduersariis ostensurum, posse se par pari reddere, nisi ligna defuerint?

Sed eius apologiæ insistamus. Siue quò in summa purulentia & atque iniuriæ indignitate aliquam certè apud rudiores reuerentiæ speciem erga Pontificem simularet, siue potius quò illum morderet ac deluderet, scripsit, existimare se, eam incensionem haud accidere Leoni molestam, neque ab illo comprobari errores, quibus combusti libri scatebant; quin etiam Leonis iniussu suos vicissim incensos fuisse: verum, utcumque res se habuerit, parum id interesse. Syllabum ad hoc descripsit illius prauæ doctrinæ, quam aiebat contineri Iure Canonico; ubi quà sententiã communem peruertit, quã reprehendit iustissimas sanctiones, cuiusmodi ea est, Licere vim vi repellere. Et tamen, quo nihil absurdius, quoddam ex memoratis ipsius scriptis clauditur Samsonis effato cap. 15. Iudicum, quo Martinus contendit, non defensionem modò per vim, sed etiam ultionem sibi licere: cum enim Samson aduersum Philisthæos ignem igne vindicasset, verba tunc ab eo dicta Lutherus mutuatur, *Sicut fecerunt mihi, ita & feci eis.*

Mirum etiam est quod contigit Wittembergæ. Nam post ignominiosum incendium Legum Canonicarum, illæ ipsæ, ut prius, è Cathedris expositæ in Gymnasio à Doctoribus stipendio conductis, inter quos erat Iustus Ionas, ipsius planè Lutheri corçulum. Neque hic auctoritatis ac linguæ efficaciam valuit hoc annis pluribus impedire: ij namque non ratione sed libidine acti, gestiebant quidem per contumelias odium euomere in Romanam Ecclesiam, nolabant tamen eo se commodo spoliare, quod illius disciplinæ magistris proueniebat è statuto stipendio, & etiam auditoribus, ex comparata facultate ad eandem postea cum lucro profitendam, & ciuitati, à frequentia discipulorum per eam opportunitatem ibi degentium.